Programm

des

Marienstifts-Gymnasiums zu Stettin,

womit zu der

auf Freitag den 17. September 1875 Nachmittags um 2½ Uhr angesetzten

Abiturienten-Entlassung

und dem

mit ihr verbundenen öffentlichen Redeacte

ehrerbietigst und ergebenst einladet

A. G. Heydemann Dr. phil.

Director und Professor.

Inhalt:

Stettin.

Druck von Herrcke & Lebeling.

Philosophorum Graecorum de linguae natura sententiae.

Populorum fere omnium communis est opinio inter verba et res per ea significatas naturalem quandam necessitudinem intercedere. Haec autem de linguae natura opinio procul dubio effecit, ut nulla grammaticae pars prius et libentius a Graecis coleretur, quam etymologia. Non pauca huius studii exempla apud poetas nobis servata sunt, quae nisi cum communi aliqua populi inclinatione congruerent, vix offensionem vitare potuissent (v. Lersch, sprachphilosophie der alten. III, 3, sqq.).

Procedente autem tempore a poetis ad philosophos hoc studium transiit et gravis de linguae natura et origine quaestio ab iis agitari coepta est. Quo tempore primum hoc factum sit quave veterum philosophorum schola inter viros doctos minime constat; mihi quidem persuasissimum est usque ad Sophistarum Atticaeque quam vocant philosophiae tempus talem quaestionem existere non potuisse. Sed hac de re mox videbimus, nunc autem illustrissimum et fere unicum in ipso huius certaminis limine obvium monumentum adeamus, Cratylum dico, qui inter Platonis dialogos nobis traditus est. Cuius de dialogi fine et consilio quum non omnes qui hac in re elaboraverunt viri docti consentiant operae pretium erit quam accuratissime eius argumentum proponere.

Colloquuntur inter se Hermogenes et Cratylus, qui Socratem advenientem conspicati statim colloquii socium advocant. Sermonis autem causam Hermogenes his verbis cum Socrate communicat: Cratylus rebus singulis ait natura inesse rectam nominis rationem, neque id esse nomen, quod quidam ex constitutione (*ξυνθέμενοι*) vocant, dum vocis ipsorum particulam quandam pronuntiant, verum rectam aliquam rationem nominum (*ὀρθότητά τινα τῶν ὀνομάτων*) et Graecis et Barbaris eandem cunctis innatam esse. Suam ipsius autem sententiam a Cratylo prolatae contrariam ita fere proponit: Licet frequenter cum hoc et multis aliis jam disputaverim, tamen persuaderi mihi nondum potuit, aliam esse nominis rectitudinem quam conventionem et consensum (*ξυνθήκη καὶ ὁμολογία*). Mihi enim videtur quod quis unicuique rei imponit nomen id ei esse nomen; et si idem deinde nomen mutet aliudque imponat posterius nomen

non minus rectum existere quam prius: nullum enim ulli rei nomen natura (*φύσει*) esse proprium, sed lege et usu (*νόμῳ καὶ ἔθει*) eorum, qui cuique rei tribuere aliquod nomen coeperunt.

Primum autem Socrates cum Hermogene eorum sententiam perscrutatur, qui nomina *ξυνθήκῃ καὶ ὁμολογίᾳ* nata esse statuunt. Ut in iudiciis nostris sic etiam in enuntiatis verum ac falsum inest; quaecunque autem enuntiatio vera est, totam esse veram omnesque eius partes necesse est. Consequens igitur est, cum nomen sit enuntiationis pars, ut hoc quoque aut verum sit aut falsum. Res porro ipsae propriam habent naturam a nostra opinione nullo modo pendentem. Si quis igitur circa res efficere aliquid cupit, earum naturam non suum arbitrium sequi debet. Eodem modo is, qui nomina rebus imponit, si quid circa eas facere vult, non pro libitu nomina formare sed ad rerum naturam ea accommodare debet. Praeterea nomina quasi quaedam instrumenta sunt, quibus utimur, ut nos invicem de rebus edoceamus et quae inter se diversa sunt, accurate discernamus. Sequitur hinc, nomina recte imponere rebus, non esse cuiusvis, sed eius, qui rei satis peritus est, quem legislatorem (*νομοθέτην*) dicimus. Is autem talia debet nomina invenire, quae naturam cuiusque rei et formam syllabis literisque exprimant, ut ipsis vocabulis de rerum natura doceantur audientes. Ex quo perspicuum est non esse cuiusvis vocabula fingere et nomina rebus imponere nec quod quisque alicui indat nomen, id verum esse nomen recteque rei impositum.

Refutata igitur Hermogenis sententia sic fere pergit Socrates: Cratylus vera loquitur, cum nomina dicit natura rebus competere, neque unumquemque esse nominum auctorem, sed illum solum, qui ad nomen respicit, quod natura cuique convenit et eius speciem literis syllabisque inserere potest.

Jam vero Hermogenes Socratem rogat, ut in quanam re naturalis illa nominum rectitudo posita sit subtilius exponat. Et primum quidem in propria hominum et heroum nomina inquirit, deinde in deorum, a quibus ad ceterarum rerum denominationes transgreditur. His autem praetermissis ad primitiva vocabula, ex quibus illa ducta sunt, consideranda accedit. Primitivorum autem vocabulorum eadem ratio sit necesse est, quae derivatorum, quum et ipsa, siquidem nomina futura sint, rerum vim et naturam exprimant et significent. Quae vero his cum rebus ipsis intercedat similitudo, hoc modo Socrates declarat: Si lingua caruissemus, animi sensa haud dubie manibus, capite aliisque corporis gestibus aperire studuissemus. Itaque levia manibus ad coelum sublatis, gravia ad terram demissis, alia alio modo significavissemus. Voce igitur et lingua si quid aliis indicare cupimus, rerum naturam imitando hoc esse exprimendum. *Ὄνομα ἄρα ἐστίν, ὡς ἔοικε, μίμημα φωνῇ ἐκείνου, ὃ μιμεῖται καὶ ὀνομάζει ὁ μιμούμενος τῇ φωνῇ, ὅταν μιμῆται;* et paucis praetermissis: *εἴ τις αὐτὸ τοῦτο μιμεῖσθαι δύναιτο ἑκάστου, τὴν οὐσίαν, γράμμασί τε καὶ συλλαβαῖς, ἆρ' οὐκ ἂν δηλοῖ ἕκαστον, ὃ ἔστιν; ἢ οὔ; Πάνυ μὲν οὖν.* Deinde ita fere pergit Socrates: Ridicilum videri potest quod

res ipsae per litteras syllabasque facta manifestae fiant, tamen necessarium est, quum melius hoc non habeamus ad quod respicientes de veritate primorum nominum iudicare possimus, nisi forte tragicorum more ad deos confugientes rem ocius expediamus dicentes deos prima nomina posuisse et idcirco recte imposita esse. Restat etiam ut a barbaris quibusdam nos ea accepisse aut ob vetustatem ea discerni non posse dicamus. Sed tergiversationes istae sunt illorum qui de recta primorum nominum impositione rationem reddere nequeunt. Quisquis autem primorum nominum rectam rationem ignorat, derivatorum cognoscere non valet, quum tantum ex iis, quae ille ignorat, sint exploranda. Itaque Socrates quae de primis nominibus, de syllabarum litterarumque vi et ratione comperta habet cum Hermogene communicat. Literas primum contemplatus r ad motum significandum valere contendit eamque literam ea de causa in vocibus motum significantibus, ut *ῥεῖν* et *κρούειν* occurrere. *λ* litera tenuia et ob tenuitatem cetera pervadentia indicat; per *φ*, *ψ*, *σ*, *ζ* quae literae sunt spiritus vehementioris, talia quaedam nominum auctor exprimit ut *ψυχρόν*, *ζέον*, *σείεσθαι* et communiter concussionem et quassationem; quotiescunque vehemens et spiritu plenum imitari vult nominum institutor tales ut plurimum literas adhibet. Eadem ratione cetera quoque secundum litteras ac syllabas singulis rebus accommodata a nominum auctore videntur.

Jam vero Hermogenis sententia omnia vocabula ab arbitrio hominum derivata esse refutata ad Cratylum impugnandum Socrates convertitur; is enim nominum rectitudinem eo modo intelligi vult, ut omnia vocabula rerum naturam patefaciant et ex hoc genuino fonte optime philosophia veritatem hauriat. Quum vero Socrates contra Hermogenem demonstrasset inesse in nominibus naturale quoddam cum rebus per ea notatis vinculum, tamen Cratylo, id est Heracliteis minime concedere potest per nomina tantum ad res ipsas aditum patere. Socratis autem sententia, quacum omnino se consentire Cratylus fatetur, haec est: recta nominis ratio ea est, quae qualis quaeque res sit ostendit. Deinde autem in Cratylum versus haec dicit: Nominum impositio est ars et impositores artifices; ut vero pictores quidam deteriores, quidam praestantiores sunt, ita etiam legum auctores partim pulchriora partim deteriora opera sua efficiunt. Eodem modo etiam aliud nomen melius aliud deterius impositum est. Contra quod more Sophistarum Cratylus contendit, omnia nomina recta imposita esse, quaecumque enim non recte imposita esse videantur, nomina omnino non esse. Interrogante porro Socrate, utrum loqui falsa non posse aliquis Cratylo videatur an fari posse, Cratylus respondet, sibi quidem non posse videri sed sonare (*ψοφεῖν*) potius eum, moventem seipsum frustra, veluti si quis aera pulset. Urgente autem Socrate tandem concedit nomina non recte posse distribui, similiter etiam in verbis aberrare licere, sin autem in nominibus et verbis etiam in oratione, quippe quae verborum et nominum compositio sit. Addit deinde Socrates assentiente Cratylo: qui per litteras et syllabas rerum essentiam imitatur pulchram imaginem efficit si omnia bene distribuit, si vero in paucis deficiat, imaginem quidem efficit sed non pulchram; quamobrem quaedam nomina bene instituta erunt,

quaedam male et unus erit bonus nominum artifex, alter malus. Ad haec Cratylus respondet nomen, quod aliter scriptum sit ac debeat, paucis tantum literis mutatis, plane aliud evadere neque esse nomen eius rei, quod significare debeat. Quibus Socrates opponit, tantum de numeris hoc dici posse, quum quilibet numerus quocunque addito vel ablato statim alius efficiatur, nomina autem imaginum potius naturam habere, quae non omnia habere debent quaecunque illa quarum imagines sunt. Aliter enim ne imagines quidem appellari debere, cum, quae sunt plane sibi similia, duo sint eiusdem generis individua ut si Cratyli nomen vel imago omnia quae ipse Cratylus haberet Cratylus alter foret. Jam vero nomen si ei rei, quam significat, simile est, etiam elementa, ex quibus prima nomina sunt composita, natura ipsa rebus similia sint necesse est. Inquirit deinde Socrates an omnia nomina nominumque elementa sint rebus per ea notatis similia. Literam ϱ id quod asperum est, λ vero id quod molle propter similitudinem indicare supra demonstratum est: nihilominus vocabulo *σκληρότης* inest litera λ asperitati repugnans, inest quoque litera σ ad asperitatem non pertinens; ergo rei naturae hoc vocabulum non satis adaptatum est. Quum vero quid sibi velit hoc nomen ab omnibus recte intellegatur Cratylus fieri hoc propter consuetudinem (*διὰ τὸ ἔθος*) contendit. Contra quod Socrates: Consuetudinem quum dicis nihil aliud dicis quam conventionem (*ξυνθήκη*), necesse igitur est consuetudinem conferre aliquid ad expressionem eorum quae sentimus.

Restat iam extrema pars, in qua de vi nominum ad intimam rerum naturam cognoscendam agitur. Cratylus enim hac de re eam sententiam profert, docere nomina et nomina scientem etiam res scire, hunc esse solum et optimum rerum cognoscendarum modum. Ad quae Socrates respondet: Qui principio nomina posuit, quales esse res opinatus est, talia quoque nomina effinxit. Si ergo ille non recte sensit et ut sensit instituit, etiam nos eius vestigia sequentes decipimur. Quum autem Cratylus nominum auctorem errare posse neget argumento eo adhibito, quod, si male sensisset, nequaquam omnia ita sibi consonarent — omnia enim nomina Heracliti doctrinam de sempiterno omnium rerum fluctu probare iam antea contenderat — Socrates exemplis multis docet etiam permulta vocabula reperiri, ex quibus iudicari possit, nominum auctorem non fluentes sed potius stabiles res iudicare. Praeterea alia in Cratyli sententia sunt, quae sibi repugnant; dixerat enim necessarium esse illum qui nomina statuit novisse ea quibus nomina tribuebat. Huic ratiocinationi Socrates opponit, intellegere se non posse, quibusnam ex nominibus primi illi nominum auctores res didicerint, si quidem tantum ex nominibus res disci possint. Hoc deiectus praesidio in ultimum iam propugnaculum sese recipit Cratylus, dicens excellentiorem quendam potentiam quam humanam prima rebus nomina imposuisse, unde consequi, ut recte fuerint distributa. Contra quae Socrates: cum dissentiant contendantque de veritate inter se nomina a deo aliquo ea facta esse vix credibile est. Praeterea iam luce clarius hoc evasit, alia quaedam praeter nomina quaerenda esse, qnae nobis ostendere possint,

utra illorum vera sint, id est rerum essentiam aperientia. Sufficiat autem nunc, Socrates pergit, inter nos convenisse, quod non ex nominibus, sed ex se ipsis potius res discendae sunt. Postremo autem, ut solet, ad ideas Socrates convertitur, quum doceat, ne nominari quidem aliquid posse, si omnia fluant semperque mutentur.

In aliis quoque dialogis de linguae natura sed obiter tantum disputat Plato ut ad Cratyleam quaestionem solvendam iis uti non possimus. In rep. II, 382 B haec invenimus: *ἐπεὶ τόγε ἐν τοῖς λόγοις μίμημά τι τοῦ ἐν τῇ ψυχῇ ἐστι παθήματος καὶ ὕστερον γεγονὸς εἴδωλον.* Imprimis autem in Theaeteto et Sophista hac de re disputat, in Theaeteto 189 E, 190, 206 D, 208 C, in Sophista 261 E, 262 D, 263 E. Theaet. 206 D haec exhibet: *τὸ τὴν αὑτοῦ διάνοιαν ἐμφανῆ ποιεῖν διὰ φωνῆς μετὰ ῥημάτων τε καὶ ὀνομάτων, ὥσπερ εἰς κάτοπτρον ἢ ὕδωρ τὴν δόξαν ἐκτυπούμενον εἰς τὴν διὰ τοῦ στόματος ῥοήν.*

Ad Cratylum iam redeuntes unum Schaarschmidtium invenimus, qui hunc dialogum a Platone conscriptum esse negat (vide Rhein. Mus. XX, 3. 1865. et eiusdem librum: die sammlung der platonischen schriften). Tantum autem abest, ut viros doctos ad suam sententiam traxerit ut multi iure eum refellerint, imprimis Albertius (Rhein. Mus. XXII, 4. 1867) qui omnia eius argumenta uberrime refutavit. Primum enim prosopographia Cratyli a ceteris genuinis Platonis dialogis minime differt, id quod etiam Lehrsius iudicavit in Rhein. Mus. XXII, 3. 1867. Secundo loco in argumentum et compositionem dialogi invehitur Schaarschmidtius et hanc imprimis ob causam eum ut Platone indignum spurium reddere vult. Id quod nemo concedet, qui sine praeiudicio ut ita dicam librum evolverit. Praeterea quis est quin miretur ante Schaarschmidtium hoc neminem doctissimorum et ingeniosissimorum hominum perspexisse? Immo omnes ea in re consentiunt, hunc dialogum inter optimos Platonis dialogos iure locum tenere. Exempli causa Boeckhius haec dicit (gesammelte kleine schriften III, p. 213): wir stimmen vollkommen mit Schleiermachers meinung überein, dass diese platonischen aeusserungen zu dem tiefsinnigsten und groesten gehoeren, was iemals ueber die sprache ist ausgesprochen worden. Quibus adiungam ea, quae nostris demum diebus vir doctus (Jolly, die Sprachwissenschaft eqs. p. 641) de Cratylo dicit: dieses platonische meisterwerk, bei dem ieder, der es nachliest, sich durch eine fuelle anregender und sogar tiefsinniger bemerkungen sowohl als durch die planmaessige kunstvolle durchfuehrung, durch den reichthum an einfaellen, den leichten witz und humor des autors wie durch den hohen flug seiner grundgedanken sich reichlich für seine muehe belohnt finden wird.

Finem vero, quem in hoc dialogo componendo Plato sibi proposuit cum aliis viris doctis, quos enumerare longum et supervacaneum est, eum esse contendo, ut doceat, verba nulla esse vi ad rerum naturam cognoscendam. Itaque philosophiam propria via propriisque viribus veritatem investigare debere. Quum autem imprimis per ideas rerum naturam cognoscendam esse hoc quoque dialogo doceat praeterea

aliud quoque agit, id quod primus Benfey ostendit libro, cui inscribitur: ueber die aufgabe des platonischen dialogs Cratylos. 1866. Quum enim multis etymologiae studiis Plato demonstret, linguam, qua utimur, nullius esse pretii ad rerum essentiam cognoscendam, quum et sempiternum rerum fluctum et earum stabilitatem his vocabulis demonstrari possit, id agit deinceps, ut linguae quasi idealis, id est rerum naturam vere patefacientis delineamenta proponat. Quo in admirabili studio quum Plato a multis minus recte comprehensus, a nonnullis adeo graviter reprehensus sit, ego quidem cum Benfeio consentio, qui hanc quoque dialogi partem laudans dicit: trotz unverkennbarer mängel, mit einer tiefe, in einem umfange, mit einer kunst und einem erfolg behandelt hat, welche, zumal wenn man die zeit seiner entstehung berücksichtigt, mit recht das staunen und die bewunderung aller derer geärndtet hat, welche sich eindringend mit ihm beschäftigt haben.

Jam vero, ut supra indicavimus, ea colligemus quae nobis de philosophis, qui aute Platonem floruerunt, huius quaestionis participibus tradita sunt. Qua de re quum iam alio loco (quaestt. grammatt. spec. Sed. 64) uberius disputaverimus nunc breviter tantum rem complectemur.

Secundum Graeci ingenii proprietatem philosophia initium sumit a contemplatione naturae rerumque sensibus subiectarum; quam proprietatem per totam primam Graecae philosophiae periodum, quae inde a Physiologis Ionicis usque ad Sophistas pertinet, servat, ut philosophia naturalis recte appellari possit. Minime autem id eam agere videmus ut antequam res ipsas cognoscat condiciones, quibus omnino res cognosci possint, intellegere studeat. Cogitatio enim in rebus naturae cognoscendis occupata utrum vera an falsa ipsa sit minime curat. Omnis igitur, quae Sophistas antecedit, philosophia dogmatica est. Quae quum ita sint, iam per se patet et a priori, ut ita dicam, constat, hac periodo de linguae origine et natura quaestionem existere non potuisse. Quum enim linguae contemplatio, qualem apud Graecos philosophos invenimus, tantum ad theoriam cognitionis spectet, a philosophia illa dogmatica naturali prorsus abhorret. Illa autem a priori supra a nobis facta constructio ea re dissolvi videtur, quod a veteribus nonnullis auctoribus, inprimis Platonis et Aristotelis scholiastis traditur, Pythagoram, Heraclitum, Democritum hac in quaestione solvenda desudasse. Necessarium igitur erit omnia haec testimonia cultro, quem vocant, critico dissecare. Praefationis autem loco facere non possum, quin verba hic afferam Steinthalii e diligentissimo horum testimoniorum studio orta, quae in universum optime hac de re iudicant. Verba eius haec sunt. (Gesch. d. Sprachw. b. d. Gr. u. R. S. 39): Wie uns ueberhaupt die vorplatonische philosophie der Griechen nur in bruchstuecken ihrer denkmaeler und in den berichten der spaeteren denker ueber sie erhalten ist, so auch ihre ansicht von der sprache. Hier sind wir namentlich auf die angaben der scholiasten angewiesen. Diese Maenner aber, Proclos zu Platons Cratylus und Ammonios zu Aristoteles *περὶ ἑρμηνείας* sind aus aeusseren und inneren gruenden voellig unfaehig, ein wahrhaftes

historisches Zeugniss ueber die alte vorattische philosophie abzulegen. Sie haben schwerlich die alten schriftstuecke eines Heraclit und Democrit noch vor augen gehabt, sie haben aus sekundaeren quellen geschoepft. Sie haben aber noch weniger die gehoerige faehigkeit des verstaendnisses. Sie haben nicht einmal ihre quellen sorgfaeltig benutzt, die wahrscheinlich besseres herauszulesen gestatteten, als sie herausgelesen haben. Die tiefere Ursache hiervon aber war die, dass iene maenner, ohne richtiges historisches bewusztsein, voellig unfaehig waren, sich aus den begriffen ihrer zeit in die noch unentwickelten anfaenge der aelteren philosophie zurueckzuversetzen. Non minus gravis autem alia erroris causa est, quae non solum veteres sed etiam nostris temporibus viros doctos hanc in rem inquirentes valde fefellit, quam his verbis Steinthalius recte exprimit (a, a. O. S. 73): Der geschichtsforscher aber darf sich durch namen und woerter nicht irre fuehren lassen, er darf weder ansichten bei maennern finden, die ihnen von unkritischen scholiasten zugeschrieben werden, weil diese ansichten in spaeterer zeit mit den von ienen denkern gebrauchten woertern verbunden werden, oder gar bloss, weil sie aus ihren woertern gefolgert werden koennen, noch auch darf er glauben, etwas von der ansicht eines philosophen zu wissen, weil ihn ein scholiast zu der einen oder der anderen mit irgend einem schlagwort bezeichneten partei zaehlt. Talia praefati iam ad rem ipsam accedimus.

Primus philosophorum, quos hanc quaestionem tractasse accepimus, Pythagoras est. Simulatque autem Pythagorae nomen profertur nobis cavendum est, ne irretiamur. Nulla enim fere antiquitatis persona tam multis tamque variis fabulis exornata est, quam Pythagoras. Qua de re optima Zelleri verba habemus, quum in Graecae philosophiae historia de Pythagora tractans dicat (Philos. d. Gr. I, 207): ueber den Pythagoraeismus und seinen stifter weiss uns die ueberlieferung um so mehr zu sagen, je weiter sie der zeit nach von diesen erscheinungen abliegt, wogegen sie in demselben maasse einsilbiger wird, in dem wir uns dem gegenstand selbst zeitlich annaehern. Constat autem nostra memoria plerosque eruditorum sic iudicasse Pythagorae Pythagoreorumque fragmenta a Stobaeo, Iamblicho, Porphyrio, Simplicio aliisque servata, solis Philolai reliquiis exceptis, aut magnam partem supposititia esse aut omnino nihil continere, quod a veteribus illis, quibus tribuuntur, profectum sit. Iam autem testimonia illa inspiciamus, quibus traditum est Pythagoram participem fuisse illius de linguae natura quaestionis. Fontes autem, qui nos hanc rem docent, hi sunt: Cicero Tuscull. disputt. I, 23 haec dicit: Ex hacne tibi terrena mortalique natura et caduca concretus esse videtur, aut qui primus, quod summae sapientiae Pythagorae visum est, omnibus rebus imposuit nomina? Secundo loco nominandus est Aelianus, qui var. hist. IV, 17 haec tradit: *ἔλεγε δὲ* — sc. Pythagoras — *ὅτι πάντων σοφώτατον ὁ ἀριθμός, δεύτερος δὲ ὁ τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα θέμενος.* Tertio loco adhibendus est Iamblichus vita Pythag. §. 82 ed. Küst: *πάντα δὲ τοιαῦτα ἀκούσματα διῄρηται εἰς τρία εἴδη· τὰ μὲν γὰρ αὐτῶν, τί ἐστι, σημαίνεται· τὰ δὲ, τί μάλιστα. τὰ δὲ, τί δεῖ πράττειν*

ἢ μὴ πράττειν. nonnullis praetermissis haec sequuntur: τὰ δὲ, τί μάλιστα, οἷον·τί τὸ δικαιότατον; θύειν· τί τὸ σοφώτατον; ἀριθμὸς· δεύτερον δὲ, τὸ τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα τιθέμενον· Idem §. 56 haec exhibet: ἔτι δὲ τὸν σοφώτατον τῶν ἁπάντων λεγόμενον καὶ συντάξαντα τὴν φωνὴν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ σύνολον εὑρετὴν καταστάντα τῶν ὀνομάτων, εἴτε θεὸν, εἴτε δαίμονα, εἴτε θεῖόν τινα ἄνθρωπον κτλ. Apud Proclum in scholiis in Cratylum Platonis ed. Boiss. p. 6 haec invenimus. Ἐρωτηθεὶς γοῦν Πυθαγόρας τί σοφώτατον τῶν ὄντων; ἀριθμὸς, ἔφη· τί δὲ δεύτερον εἰς σοφίαν; ὁ τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασι θέμενος. Postremo loco nominandus est Theodotus quidam Eclog. ex script. Prophet. c. 32, cuius verba haec sunt. Πυθαγόρας ἠξίου μὴ μόνον λογιώτατον ἀλλὰ καὶ πρεσβύτατον ἡγεῖσθαι τῶν σοφῶν τὸν θέμενον τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασι. Jam autem diligentius hos locos inspiciamus, ut quid veri quid falsi contineant inveniamus. Steinthalius l. l. p. 154 haec dicit: Die form, die wir durch Jamblichus kennen lernen, empfiehlt sich unmittelbar durch ihre originalitaet als die aelteste; paucis autem interiectis haec addit: ich meine also, der zusammenhang der aeusserung ueber die sprache mit der ueber die zahl und die arzneikunst duerfte leicht nicht erst von Jamblich gemacht, sondern ursprünglich sein. Contra quae in universum primum obiciendum est tali de causa de dictorum illorum connexu nihil statui posse. Deinde autem hoc probe notandum est: diligentius Jamblichi quae supra scripsimus verba pensitantem inaequalitas eorum fugere non potest. Quum enim in tres species acusmata divisa esse dicat, secundo loco affert ea, quae respondent quaestioni: τί μάλιστα. Quum autem rectissime se habeat illud: τί τὸ σοφώτατον; ἀριθμός· minimeneque ad formam neque ad sensum huc quadrant quae addita sunt: δεύτερον δὲ, τό τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα τιθέμενον. Nam quomodo cum quaestione τί μάλιστ δεύτερον aliquid cohaerere possit ego quidem nullo modo intellegere possum. Apparet igitur totum illum de lingua locum primo cum his acusmatis non coniunctum fuisse, nec recte omnino coniungi cum iis potuisse. Id quod Steinthalius quoque concedere videtur: quum enim demonstret haec acusmata partim e Platonis scriptis partim ex Epinomide sumpta esse, Epinomida, e qua quaestio τί μάλιστα fluxit, δεύτερον non continere ipse dicit. Haec autem res in prima acusmatis forma invenienda iuvare nos potest, de qua Steinthalius dicit p. 158: Wer kann zweifeln, dass das neutrum hier das urspruenglichere sei, denn es ist nicht bloss schwieriger, sondern stimmt auch besser zum vorangehenden τί τὸ σοφώτατον. Hae duae causae quam sint infirmae fugere neminem potest. Primum enim non patet, qua de causa lectio difficilior per se faciliori antiquior esse debeat. Deinde huic causae obici potest, formam neutralem in verbis δεύτερον eqs. tantum ut cum acusmatum forma τί μάλιστα congruant, pro forma masculina substitutam esse. Alteram autem causam: sondern stimmt auch besser zum vorangehenden τί τὸ σοφώτατον circulum vitiosum recte appellaveris. Quum enim Steinthalius ipse concesserit verba illa δεύτερον qqs. cum acusmate de numero primo coniuncta non fuisse, quomodo ei permitti potest, coniunctionem illam quasi ab initio inter duas acusmatis

partes fuerit testem afferre, formam neutralem esse primitivam? Quae quum ita sint ego sic potius concluserim: quum demonstratum sit primum, verba illa de lingua cum acusmate *τί μάλιστα* primo non coniuncta fuisse, deinde, recte ea omnino cum acusmatis illis coniungi non debuisse, tum, ut testimonia supra allata probant, formam masculinam praeter unum apud omnes testes exstare, id quod Steinthalius nimium neglexit, denique Ciceronem et Aelianum ceteris meliores esse testes, quum non sua ipsorum philosophemata aliorum dictis immiscuerint, supra omnem dubitationem positum est, formam masculinam primitivam illorum de linguae natura verborum fuisse. Id quod etiam Procli verba demonstrant, qui quum duo illa de numero et lingua dicta coniuncta exhibeat nihilominus posterius de lingua dictum in forma masculina praebet. Cui rei etiam melius quadrat fons, e quo totum hoc de linguae natura dictum fluxisse recte demonstravit Steinthalius: nam Pythagoram talia docere non potuisse quum e philosophiae eius indole ac natura consequatur, a Steinthalio demum intellectum esse valde miror. Quum enim sexcenties in Platonis Cratylo de onomatotheta oratio sit, unum tantum locum, quo forma neutralis adhibetur, per se minime validam, invenire potuit Steinthalius, quem levem locum fontem esse huius dicti nemini persuadebitur. Onomatotheta potius tam multis locis in Platonis Cratylo obvius verborum illorum de linguae natura fons est. Postremo loco dicta nonnulla Plutarchi ad formam masculinam tuendam sumi posse demonstrabo. Steinthalius enim explicaturus, quomodo *δεύτερον* illud cum dicto de numero coniunctum sit, p. 159 haec dicit: Wenn Plutarch (de placit. philos. IV, 2) von Pythagoras sagt: *τὸν δὲ ἀριθμὸν ἀντὶ τοῦ νοῦ παραλαμβάνει*, so ist das zwar sehr unhistorisch gesprochen, zeigt uns aber, wie man damals allgemein dachte. Ganz unbefangen schob der Neu-Pythagoraeer den *νοῦς* nicht des Anaxagoras, des Aristoteles seiner zahl unter. Nun aber bezeichnet *νοῦς* die hoechste stufe der erkenntnisz, *διάνοια* die zweite, wie auch in der obigen stelle des Cratylus *νοῦς τε καὶ διάνοια* zusammengestellt wird; dies konnte nun der Pythagoraeer nicht anders verstehen als zahl und sprache. Wie den *νοῦς*, so konnte er auch die *διάνοια* als sprache bildend nur in absolutem sinne auffassen, und zwar um so mehr, da es oben ausdruecklich heiszt, *διάνοια θεῶν*. Quibus verbis assentiri minime possum. Primum enim in illo Platonis Cratyli loco *νοῦς* et *διάνοια* minime diversae duae animi facultates sunt, altera alteri subdita. Itaque concedi non potest ad Pythagoreorum sententiam declarandam contendere eos locum illum Cratyli minus recte interpretatos esse. Deinde autem non praetermittendum est, Steinthalium ipsum hic de Neopythagoreorum dictis et sententiis loqui, quos sub primi tantum ante Chr. n. saeculi finem exstitisse constat. Plutarchi autem verba, quae Steinthalio testimonium sententiae suae dant, longe post Ciceronis tempora, qui primus Pythagorae hac in re mentionem fecit, intervallo scripta sunt. Itaque quae de historia huius dicti Steinthalius exponit non probanda mihi sunt. Quam nobis Cicero tradit formam primam et veram esse puto, quocum optime quadrant ea, quae Theodotus exhibet: *πρεσβύτατον* enim, quod in huius verbis invenimus, cum Ci-

ceronis verbo: primus, concinens non subditicium sed verum habeo et primitivum. A Neopythagoreis demum hoc de lingua dictum cum acusmatis coniunctum est, id quod ex Aeliano cognoscere possumus, apud quem horum dnorum primo disiunctorum deinde coniunctorum dictorum commissuram, ut ita dicam, cognoscere possumus: cum quaestione enim *τί τὸ σοφώτατον* masculinam formam in ceteris verbis coniungit. De huius coniunctionis causa nihil proponere habeo: potuit autem aut propterea fieri, quod ut Steinthalius vult, *διάνοια* et *νοῦς* a Neopythagoreis anxie seiungebantur, aut eam ob causam, ne illa duo dicta de numero et de lingua, in quibus verbum *σοφώτατον* inveniebatur, contradicere sibi viderentur. Apud Jamblichum demum inter utriusque dicti formas consensum invenimus. Non magis autem ac dictum ipsum explicationem, quam Proclus addit, sinceram esse, Steinthalius, aliorum virorum doctorum exemplum secutus, diligenter exposuit p. 160 sqq. Eadem autem suspicione ea quoque intueri debemus, quae Aristotelis scholiastae nobis tradunt de Pythagoreorum hac in quaestione sententiis. Quae omnia, ut par est, cum iis quadrant, quae de Pythagora ipso tradiderunt, et quum iis de causis, quas iam supra commemoravimus, tum propterea falsa habenda sunt, quod terminos technicos invenimus, qui posterioribus demum temporibus adhibebantur.

Ex iis igitur quae modo de Pythagora Pythagoreisque disputavimus, satis apparet, qualis hac de quaestione testimoniorum conditio sit.

Ad Heraclitum autem nunc venimus quem secundum inter hos de linguae origine et natura docentes philosophos locum obtinere veteres nonnulli auctores tradiderunt. Factum autem est nostris temporibus ut praeter alios viros doctos imprimis Lassallius, vir aliter ingeniosissimus, in libro quem de Heracliti philosophia composuit veterum quorundam auctorum sententiam, Heraclitum huius de lingua quaestionis participem fuisse tuerentur. Quum enim dicat Heracliteae philosophiae indole et natura optime hanc rem firmari, iure suo Steinthalius id refutasse et recte contendisse ac probasse mihi videtur Lassallium aliosque Heracliteae philosophiae naturam non recte intellexisse. Quum vero constet Heraclitum longe abesse a theoria cognitionis statuenda, consequitur quaestionem de linguae natura eiusque in vero inveniendo usu in animo eius extare omnino non potuisse. Fragmenta autem Heracliteae philosophiae idem probant, quum ea ex re, quod Heraclitus ad sensum vocabulorum nonnullorum inveniendum etymis eorum nonnumquam utebatur, harum rerum peritus contrarium non concluserit. Quem in errorem Proclus incidisse videtur, si quidem verba eius ad Heraclitum spectant. Quum vero Heraclitus ab Heracliteis diligenter sit distinguendus, postea inveniemus, Procli verba, si ad Heracliteos retuleris, non longe a vero abesse. Sunt autem verba Procli haec in Parm. I. p. 12. T. IV. Cous. *τὴν διαλεκτικὴν.. ἐξαίρετον οὖσαν τοῦ Ἐλεατικοῦ διδασκαλείου, καθάπερ ἄλλοτι τοῦ Πυθαγορείου λέγουσιν ὡς τὴν διὰ τῶν μαθημάτων ἀγωγὴν καὶ ἄλλο τοῦ Ἡρακλειτίδου τὴν τᾶν ὀνομάτων ἐπὶ τὴν τῶν ὄντων γνῶσιν.* Revera autem Proclus tantum de Heracliteis et imprimis de Cratylo loquitur,

id quod e Platonis Cratylo intellegitur. Restat autem Ammonius, qui ad Arist. d. interpr. p. 24 B. hac de re loquitur. Verbis autem eius multa obici possunt et primum quidem Heraclitum, ut supra exposuimus, tali de quaestione agere omnino non potuisse: quam ratiocinationem labefactere Ammonii testimonium minime valet. Deinde autem Steinthalio assentiendum est demonstranti totam illam Ammonii expositionem e Platonicis scriptis esse collatam. Restat ut aliam causam afferam, quae nos ex Ammonii verbis possit expedire. Verba enim Ammonii *καθάπερ ἠξίουν Κρατύλος καὶ Ἡράκλειτος* iure offendere nos debent. Primum enim collocationem eorum rectam non esse facile est intellectu, quum potius Ammonius dicere deberet: *Ἡράκλειτος καὶ Κρατύλος*. Deinde autem talibus in rebus tantum scholae philosophicae auctorvel caput nominari solet, ut potius dicendum fuisset: *καθάπερ ἠξίουν Ἡράκλειτος*. Quum vero Heracliti nomen huc omnino non quadrare persuasum nobis sit, optime ita hunc locum sanare possumus ut legamus: *καθάπερ ἠξίουν Κρατύλος ὁ Ἡρακλείτιος*, quod epitheton ubique fere cum Cratyli nomine coniunctum invenimus.

